

re in parua frustula, & cum alijs tritis terere nunc
vnam portiunculam iniiciendo, nunc alteram.

*De illis, quæ sub nomine Terra continentur,
et primo de Metallis, ac Metallicis.*

Cap. X I I.



Cum satis abundè de illis, quæ à plantis
desumuntur, narrauerim: operæpre-
tium erit sermonem aggredi illorum,
quæ terrestria ab omnibus, & potissi-
mum à Galeno nuncupantur. Terno hæc omnia il-
le sub ordine locauit lib. 9. Simplic. Medic. his ver-
bis: *Secundum igitur significatum, quod celebratur à Philo-
sophis, tribus finietur generibus terræ differentia; si quidem
vnum genus Lapis est; alterum corpus Metallicum; tertium
Terra, quæ colitur. Metallicum corpus est illud, quod
fundi potest, sicuti ibi legitur; Cui descriptioni
multi addunt, & malleo ducibile, at Galen. cap. de
Metallicis, non tam angusto termino hoc nomen
constrinxit; quoniam Metallici corporis tria esse
genera posteritati scriptum reliquit, ita: Metall-
ica medicamenta appellare Medicis mos est, quorum genera-
tio in metallis est, siue spontanea, siue per fornacem fa-
cta: & adhuc tertio loco sunt, quæ rursus homines ex his ip-
sis preparant, veluti Cerusam, Psoricum, Sandica, &
Physum.*

Celebrantur, quæ non admodum vetusta, sicuti
lib. 1. de Compos. Medic. secundum loca c. 2. doce-
tur: & quæ puriora, & loco aptiori nata; quod re-
spiciens

spiciens Gal. veluti legitur 1. de Antidot. c. 13. in varias, remotasq. partes se transtulit, cuius verba sunt: *Cyprum itaque nos hac de causa visere volumus, ubi habuimus amicum sodalem procuratoris, qui fodinis præerat, à quo loco Cadmiam, Diphrygem, Spodium, Pompholygem, Chalcitin, & Missy, Sory, & Æs vstum asportauit. Metallum autem dicitur ab ipso lib. de Simpl. iam citato, quod fundi potest, de quo à nobis non est diligenter tractandum, immo illud sicco pede transeundum.*

Hæc omnia ante eorum usum, cum substantia dura, ac densa sint insignita, aliqua indigent præparatione, vt corpora ægra permeent, & in altum se conferant: quod patefacit Gal. lib. 2. de Comp. Med. per genera c. 2. dicens: *Omnia metallica cum crassarum partium existant; multum enim terrestris substantiæ in se continent, artificij nonnihil in preparando requiritur, vt tenuiora fiant; nam, vt scribitur, potestatem suam in altum corporis non extendunt. Vt ad cutim autem se extendant, & corporis meatus pertranseant, subtiliora, & tenuiora facienda veniunt. Tenuiora fiunt, veluti ibi narratur, per triturationem, & acetum diligenter elaborata.*

Quantò autem longiori tempore trita fuerint, eò tenuiorem substantiam consequuntur; & ideo angustis vulneribus erunt aptiora, hæc lib. 3. per genera cap. 3. Sed horum multa acrimonia, ac morsu insignita exstant, ideo abluenda veniunt aliquo liquore, læuiganda, & interdum coquenda.

Abluuntur metallica alia semel, alia bis, & alia frequentius, & hæc idonea sunt ad exsiccandum sine morsu. 9. Simpl. prius tamen læuiganda, ita do-

E cente

cente Galeno eodem libro. Modum abluendi metallica, omniaq. dura tradidit literis lib. 2. per genera, his dictis: *Atque hunc in modū omnia, quæ caleferi, & fundi possunt, lauabis. At si qua lapidosa, & dura, veluti Cadmia, æris squama, & æs vstum, exactè in tenui cōminuentem plurimū in aqua terere fontanali, et purissimā oportet; de inde priori effusa, quoad nihil in aqua innatet, maneatq. prorsum à contriti medicaminis qualitate immunis. Eadem ratio est in metallicis medicamentis combustis, vt 3. per gen. c. 3. illa enim ex ignis commercio nonnihil mordacis perseruant, quod per lauationē deponunt, et lenia prorsus redduntur. & lib. de Simpl. fac. vbi de Cadmia hæc: Metallica quædam, vt Diphryges, Cadmia, & Pompholyx, per optimè abluenda; sic enim sine morsu exsiccant, & detergunt.*

Lithargy-
rum.

Argenti spumam abluendi modum ante oculos nobis ponit lib. 1. de Compos. Medic. per genera cap. 10. sic: *Porrò conuenit diligenter tota die contritam cum liquore per noctem relinquere; postero die mane illam auferre, alium mox superinfundere. Postea rursus terere, similiter; iterumq. sequenti aurora liquorem emittere; quod faciendum est, donec simul cum humore Argenti spuma, veluti tenuissima quædam portio appareat, cumq. nihil amplius innatat, nihil etiam magis effundendum erit. Attamen conterere diebus plurimis, & si nihil ei insistat, idq. Sole feruente satius est; ita enim accidit, vt medicamentum exsiccet valentiùs. Porrò nouerunt omnes id æstate, non solum in Argenti spuma, verum etiam in alijs, quæ hoc modo præparantur, fore commodius: siquidem Cadmia, idest Tuthia, æris squama, æs vstum, Diphryges, Cerussa, Misy, Sory, Stimmi, & omnes lapides; præterea & calx, perinde vt Argenti spuma eluuntur,*

eluantur, ac leuigantur. Hæcibi. Interdum exliquo
re aliquo subtilissima efficiuntur, veluti habemus
2. per genera c. 12. sic: Metallica pluribus diebus aceto
longè acerrimo conterito, & potiùs in Sole, & non raro loco
caloris ex Sole igni utendum: quamquam huiusmodi omnia
æstiuo Sole molliora fiant, multis diebus trita, quedam ex vi-
no, & quedam ex aceto. Sed ut scribitur 4. per genera
cap. 7. Subtiliora, quæ ex aceto, & ad cicatricem inducen-
dam ex vino meliora. Sit acetum imperante Gal. 3.
per genera, cap. 3. acerrimum ex vino non austero confe-
ctum, tenuissimum, & vetustissimum. At non tan-
tùm aceto, & vino, sed etiã aqua simplici, vel mari-
na læuigare ea iubet lib. 1. cap. 18. ita: Metallica quàm
maximè in loco Soli exposito cum Aqua, vel Aceto, vel Vi-
no, vel Marina læuigare oportet; etenim in ulceribus præ-
tumidis (sed hæc ad Medicum) & duris ex aceto, &
marina; in quibus autem acre, ac mordax humidum fuerit,
ex aqua terere frigida potiùs singula metalla necesse est, quæ-
admodum ex vino, cum copiosus humor influens appareat.

Sunt omnia metallica adusta aqua abluenda, ut
caliditas illa, quam ebullitione contraxerant, abo-
leatur, quod narratur 9. Simpl. c. 1. sic: Sanè combu-
storum omnium nullum planè est frigidum; relinquitur enim
in illis ignitio quedam, ut Aristoteli placet, hæc autem per
ablutionem aufertur; unde id, quod manet, terrenum si-
mul, & frigidum est.

Vigorosa Metallica, & sensum tactus exasperan-
tia ex aceto conterenda veniunt, ne morsum infir-
mis inferant partibus, hoc imperatur lib. 2. per ge-
nera cap. 2. ita: Si quidem meminisse nos puto, & huius,

E 2 quod

Austa cur
abluenda.

Metallica
vigorosa præ-
paranda.

Error aliquorum.

quod toties repeto. Fortium medicamentorum, ut Ærugo, Misy, Chalcitis, Sory, Æris squama, vel Chalcanthum ex aceto diebus pluribus contritorum morsum obtundi, & bonitatem augeri; quem etiam compescere potest eorū ebullitio, & coctio, veluti 4. per genera cap. 6. & 2. cap. 2. ita narratur: Nam quæ metalla preparas ad siccandum sine ullo morsu, coquere diutius oportet. Hæc omnia ante oculos Seplasiariorum posita à nobis patefaciunt apertissimè modum abluendi, ac læuigandi metallica, necnon etiam omnia corpora dura, ac lapidosa: attamen paucissimi illorum reperiuntur, qui talem methodum seruent. Quis enim sub Sole, vel non longè ab igne conterit, & comminuit illa? Quis modo iam narrato abluit Lithargyrum? quæ exstant duo potissima mandata ad medicamentorum obtundendam mordicationem. Exemplo sit nobis Cadmia, quam Thutiam dicunt, quæ ab ipsis non abluitur, sed pistillo super cotem aqua pauca iniecta solùm crassiusculè conteritur, at non perfectè læuigatur. Omiserunt ægrotantes, ò deceptos Chirurgos: illi enim dum arbitrantur optata frui salute, & isti illam introducere, magis inlæuit morbus à medicamentis asperis, atque mordacibus; quapropter affectus ille ingrauescens, non tantùm maiorem in modum excruciat ægrotantes, sed etiam in longum protrahitur, non pauca cum infamia Medicorum. Etiam si superioribus verbis in medium attuli rationem omnia diluendi metallica medicamenta: attamen narrabo modum Cadmiam abluendi à Dioscor. lib. 5. cap. 75. imperatum, & ab
Albuc.

Albuc. Dioscor. verba hæc: *Lauatur trita in mortario effusa subinde aqua, dum sordidum nihil emergat; deinde coacta in pastillos reponitur.* Aliam viam docet Albuc. ita: *Accipe Cadmiam, & tere crasso modo, deinde liga eam in panno crasso ex lino, quem submerge in aqua dulci, manibus frica, & repete hoc, donec dissoluatur, quod optimum erit; deinde projiciatur quod remanet in panno: postea miscetur aqua, & agitetur, quæ est in paropside cum Thutia, & illud projiciatur, quod est terreum, & sic sæpè faciendum, donec remaneat quod purum, quod pone sub Sole, & serua: sic abluitur Marchesita, Antimonium, Cerussa, & Scoria. Alij optimè tritam in aquam projiciunt, quam benè exagitant, & coto spumam illam, vel pinguedinem supernatantem auferunt, & seruant; hoc Arabicè dicitur Alchefsus, id est, clarum. Hæcille.*

Scoria ferri quandoque aceto infunditur, sic iubentibus Medicis. Quod etiã habemus à Gal. lib. 9. Simpl. ita: *Si quidem ad leuorem redigens in aceto quàm acerrimo, posteaq. decoquens vtore ea.* Prius tamen lima comminuat, & aceto per septem dies infundatur, vt Serap. lib. de Antid. vel torrefacta, & aceto infusa per quattuordecim dies, vel vino odorifero multoties extincta, veluti Auic. placeb. lib. 5. S. I. Tract. 3.

Si Auro, aut Argento indigemus, lima in minimas partes secanda veniunt, ac diuellenda. Præceptum Dioscor. lib. 6. dum de Argento, qui ait: *Auri limati scobs, id est, ramentum quàm tenuissimum e-
potum, mirabile est auxilium.* Sic & Serap. Mef. verò subtilissimis eius folijs, aut bracteolis, vtitur, quæ nonnulli pistillo in cote cum Syr. de acido citri, vel alio

Scoriæ ablu-
tio.

Auri & ar-
genti vsus.

alio liquore, vel citri succo diligentissimè conterunt. Ab omnibus vituperatur modus læuigandi aurum ab Auic. cap. de confect. ex Hyacintho propositus; admiscet enim illi Lithargyrum.

De Lapidibus. Cap. XV.



SUNT lapides corpora spontè nata, qui rigari non sustinent, teste Gal. lib. 9. Simpl. Hi enim nec aqua humescunt, nec molles euadunt; addunt aliqui huic descriptioni, nec liquari calido, vel frigido, & natura frangibiles. Sed de his satis. At quoniam impossibile existit illis uti ad morbosas passiones curandas; cum sint crassarum partium, atque duri: ideo, ut ille scribit lib. 2. per genera, omnia lapidosa, & dura in tenues partes terere oportet, & abluere. Modum autem eos læuigandi aperit lib. 9. Simpl. cap. de Lapidibus, dum de Hematite sermonem habet, sic: *Si in cote oculari eum teras cum aqua, donec mellis crassitiem acquirat.* & cap. de Pyritæ hæc: *Ceterum lapides omnes, ubi in usum vocantur, admodum vehementer contusi, atque ad leuiorem redacti sint, oportet, similiter atque ea quæ in Ophtalmicas facultates admiscuntur; etenim nisi polinis instar comminuantur, adeo ut in profundum corporum, quibus applicantur, subeant, a similes manent marinis, & fluuiatilibus arenis.* Eligatur Cos durissimus, ne, dum pistillo hi conteruntur, ac læuigantur, aliquid ipsius in medicamentum transmittatur. Dioscor. etiam nonnullos ad cotem comminuebat,

Lapidū paradi
modi